Eugenius episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam

Decens reputamus et congruum [illegible] que de nostris licentia et consensu provide facta et promissa noscuntur illibata permaneant et apostolico munimine roborentur. Cum itaque sicut accepimus olim dilectus filius noster Ludovicus tt. sancti Laurentii in Damaso presbiter Cardinalis Aquilegien nuncupatus in partibus illis apostolice sedis Legatus dilectis filiis Communitati et hominibus Castri nostri Montissancti Firman diocesis propter eorum fidelem reductionem ad nostram et ecclesie Roman obedientiam et devotionem ac desolationes vastitates damna et pericula que propterea incurrerunt nonnulla privilegia exemptiones immunitates et capitula ac quedam pure nonnulla vero ex eis sub conditione concesserit prout in quodam folio papiri per dilectum filium Petrum Lunensem ipsius Ludovici Cardinalis Secretarium de predicti Ludovici Cardinalis mandato datato signato et subscripto necnon eiusdem Ludovici Cardinalis soliti sigilli impressione munito plenius continetur ac Communitas et homines prefati ipsa privilegia exemptiones immunitates et capitula pro eorum subsistentia firmiori desiderent apostolico munimine roborari pro parte eorundem Communitatis et hominum nobis fuit humiliter supplicatum ut privilegiis exemptionibus immunitatibus et capitulis predictis robur apostolice confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati privilegia immunitates exemptiones et capitula prefata ac omnia et singula in dicto folio contenta que presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus rata et grata habentes illa omnia et singula auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus supplentes omnes et singulos defectus si qui forsan intervenerint in eisdem. Tenor vero privilegiorum exemptionum immunitatum et capitulorum predictorum sequitur et est talis. In nomine domini amen. Infrascripta sunt certa Capitula pacta et conventiones necnon gratie exemptiones et immunitates que reverenter et devote petunt impetrantur et obtinere supplicantur a Reverendissimo in Christo patre et domino domino Ludovico dei et apostolice sedis gratia Cardinali Aquilegien domini nostri pape Camerario dignissimo et apostolice sedis Legato etc. Pro parte Universitatis Communis et hominum Terre Montissancti Provincie Marchie Anconitan volentium spondentium et promittentium eidem Reverendissimo domino Legato recipienti nomine et vice prelibati sanctissimi domini nostri et sancte matris ecclesie debita reverentia obedientia et fidelitate et sub eiusdem Reverendissimi domini Legati quo supra nomine protectione et umbra se reducere vivere et morari prout de eiusdem S.mi D. N. processerit voluntate que Capitula pacta conventiones exemptiones gratie et immunitates sive alio quovis nomine debere nuncuparentur et nuncupari possent et debent sunt hec videlicet. Legati autem subscriptio est. Acceptamus obedientiam. Et primo predicti homines Commune et universitas dicte Terre Montissancti petunt et humiliter ac devote supplicando requirunt generalem remissionem et plenam liberationem de soluta benignitate et absoluta gratia omnium et singulorum delictorum criminum et quorumcumque aliorum excessuum verbo ordine gestitatione vel facto quomodocumque et qualitercumque in preteritum commissorum dictorum factorum et perpetratorum usque in presentem diem tam per dictam universitatem Commune et homines dicte Terre quam etiam per speciales personas unam vel plures eiusdem Terre cuiuscumque gradus ordinis qualitatis dignitatis et conditionis existat contra statum sive honorem vel voluntatem eiusdem S. D. N. et Commissariorum ac officialium eiusdem. Eiusdem subscriptio Placet. Item petit quod dictum Commune universitas et speciales persone eiusdem cuiuscumque gradus dignitatis conditionis et qualitatis extiterint possint et valeant uti gaudere frui et potiri omnibus et singulis beneficiis gratiis immunitatibus exemptionibus privilegiis et rescriptis quomodocumque et qualitercumque indultis factis impetratis obtentis et concessis dicto Comuni hominibus et universitati et singulis personis eiusdem uni vel pluribus simul et separatim quomodocumque et qualitercumque ad utilitatem satisfactionem et comodum dicti Communis et hominum generaliter vel particulariter accedentibus a preterito usque in presens tempus per summos Romanos pontifices Legatosque apostolicos sive quoscumque alios eorum Rectores sive quovis nomine nuncupatos officiales in dicta Provincia presidentes et similiter omnibus et singulis aliis privilegiis capitulis [illegible] gratiis exemptionibus et immunitatibus ac quibuscumque aliis pactis et conditionibus factis concessis initis et indultis dicte universitati Comuni hominibus et personis uni vel pluribus generaliter et particulariter Terre predicte et per D. C. F. S. sive eius germanum D. A. Sfortiam aut quoscumque eorum et cuilibet ipsorum Commissarios Rectores et presidentes in dicta Provincia ad utilitatem comodum et satisfactionem dicte universitatis et hominum quolibet accedentibus. Et quod dicta talia privilegia capitula conventiones gratie immunitates et rescripta sive exemptiones in futurum observentur admictantur et recipiatur et admicti et observari debeant a quibuscumque presidentibus Vicemarchionibus Locumtenentibus Thesaurariis et officialibus quocumque nomine nuncupatis et nominatis in ipsis et per omnia prout in ipsis et quolibet ipsorum generaliter et particulariter continetur omni penitus contradictione cavillatione sive quavis exceptione cessantibus quorum omnium et singulorum indultorum privilegiorum rescriptorum pactorum capitulorum exemptionum gratiarum et immunitatum sive alio quovis vocabulo nuncupari contigit tenores et continentie quocumque dictamine litterali sive latino reperiatur hic pro expressis et declaratis habeantur et intelligantur et maxime privilegium in quo conceditur dicte universitati Communi et hominibus dicte Terre Montissancti quod solutio tallearum annuatim fienda per dictam universitatem et homines sit et intelligatur solum et tantummodo de florenis Quingentis quolibet Anno et non ultra et generaliter et specialiter ac expresse omnia alia et singula privilegia indulta et rescripta quecumque et qualitercumque concessa et attributa dicte universitati Communi hominibus et personis generaliter et particulariter prout supradictum est. Subscriptio placet de privilegiis et aliis concessis per summos pontifices aut eorum Legatos et gubernatores et simul de florenis Quingentis ultra quos non teneantur singulis Annis iuxta tenorem bulle et reductionis facte tempore bo. me. D. Johannis pp. XXIII Anno eius Quarto ad quam nos referimus. Item petit quod omnes quantitates pecuniarum granorum et aliarum quarumcumque rerum solutarum datarum et consignatarum per dictam universitatem et homines de mandato ordine et commissione Reverendissimi in Christo patris et domini domini D. dei et apostolice sedis gratia presbiteri Cardinalis Firman in dicta Provincia Marchie apostolici Legati et Magnifici Capitaneorum Nicolai Piccinini et Francisci eius filii et aliorum quorumcumque presidentium dicte Romane ecclesie huiusque excomputentur et excomputari debeant in summa tallearum que debentur et debebuntur Camere dicte ecclesie Thesaurariis eiusdem et dictam universitatem et homines annuatim sine contradictione aliqua. Subscriptio. placet de dat et solut mandato Reverendissimi D. Cardinalis Firman ac Magnifici ac strenui olim Capitanei Nicolai Piccinini. Item petunt quod potestas presens dicte Terre cum suis officialibus et familia et singuli alii officiales dicte Terre et similiter alii forenses undecumque sint cuiuscumque gradus qualitatis et conditionis existant et quibuscumque nominibus nuncupentur et omnes et singulas eorum et cuiuslibet ipsorum res et bona existentes ad presens in dicta Terra Montissancti sint et intelligantur esse salvi tuti et securi et nullo modo clam vel palam aliquo quesito colore ingenio molestari apprehendi et occupari possint tam in stando quam ad propria redeundo a quibuscumque gentibus armigeris equestribus vel pedestribus complicibus et sequacibus nec ab aliis quibuscumque officialibus commissariis et subditis prefati S. D. N. et sancte Romane ecclesie et eius complicibus et sequacibus tam in dicta Terra et eius districtu quam extra et tam per mare quam per terram. Et quod presens capitulum sit pro eis et cuilibet predictorum plenus validus et firmus salvusconductus. Subscriptio placet sed abscedat inde infra dies Octo. Item petit quod pastores Legati gubernatores Confalonerii Capitanei Marchiones et alii quicumque sint et erunt defensores ipsius ecclesie et ad stipendia ipsius militantes teneantur et debeant omni tempore dictam universitatem Communem et homines dicte Terre defendere sive defendi facere ab omnibus inimicis volentibus et querentibus offendere dictam universitatem et habitatores ipsius et nullo modo relinquere indefensos. Subscriptio. Placet. Dat signat et subscript fuerunt sub impression sui soliti sigilli de mandato Reverendissimi in Christo patris et domini domini Ludovici tt. sancti Laurentii in Damaso presbiteri sancte Romane ecclesie Cardinalis Aquilegien domini nostri pape Camerarii apostolice sedis Legati etc. et per me Petrum Lunensem Secretarium infrascriptum In Civitate Firman apud ecclesiam sancti Francisci die XXVIII Novembris MCCCCXLV Ind. VIII pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Eugenii divina providentia pape Quarti Anno XV. P. Lunensis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis confirmationis communitionis et suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoquadragesimoquinto Quintodecimo kl Februarii Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

Gratis de mandato d. n. pp.

A. de [illegible]

EUGEN IUS PP IIII

0 cm 5 cm 10 cm 15 cm 20 cm

Rta

In Camera Apl[illegible]

Privilegium [illegible] Galeaz[illegible] [illegible]
officiali[illegible] [illegible]

.1445.

Eugenii Papae IIII Confirmatio Privilegiorum, [illegible]
Galear. Remissio [illegible], [illegible] ad
gradus, et honores, cum insertione Capitoli [illegible]
ab Ill.mo [illegible] Card. Aquilegiensi legato [illegible]
[illegible] Papa Eugenio IIII [illegible]

N.° ~~39~~. 40 doc. n 57